

1999
A
1919



F

anf.

SS

Bonorum Deo!

DISPUTATIO PHYSICA

DE

NATIVO RE-
RUM NATURA-
LIUM ORTU.

Quam

DEO T. O. Tq; M. ANNUENTE

IN ILLUSTRIS AD SALAM ACADEMIA

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Amplissimi, Excellentissimi ac Praclarissimi

DN. JOHANNIS ZEISOLDI,

Physices Professoris Publici Honorarii undiqua-
que Celebratissimi, Facultatis Philosophicæ h. t. De-
cani Spectatissimi,

Dn, Præceptoris, Fautoris, Hospitis atq; Patroni sui ter-
geminis honoribus adficiendi, maectandi,

Publicè ventilandam exhibet

HENNINGUS Bolesmar/

Goslariâ-Saxo.


Ipsis Kal. Februar.

Quas Jubilæum Academicum excipiebat.

In Acroaterio Philosophorum

H. L. Q. S.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISII,
ANN o cl o c l i i x.



ALMÆ TRIGÆ,
VIRIS

*AMPLISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS ATQVE
PRÆCLARISSIMIS*

DN. M. JOHANNI ZEISOLDO,
Phys. in hac florentis. Salana Prof. Publ. Hono-
rario undiquaque Celebratissimo, Amplissimæ Fa-
cult. Philos. h. r. DECANO Specta-
tissimo.

DN. M. CASPARO POSNERO,
Phys. Prof. Publ. Ordinario longè Ce-
leberrimo.

DN. M. FRIDEMANNO BECH-
MANNO, Log. & Metaph. Prof. Publ. ma-
ximè Famigerabili.

*DNNN. Præceptoribus, Fautoribus atque
Patronis suis omni observantia cultu aviternum
prosequendis,*

DISPUTATIONEM HANC PHYSICAM

*Dedicat, Consecrat,
offerit*

Henningus *Bolckmar*
Resp.



Bono cum Deo!

Vòd dies diem doceat, posterioresque meditationes meliores esse soleant prioribus, & in diverbio est, & res ipsa loquitur. Sanè experimur, videre nos hodiè, quæ heri videre non dabatur. Id quod sapientibus quoque obtingit, quibus non licet esse tam beatis, ut semper veri bonive seu honesti lumen videant, & juxta illud incedant. Ut jure meritoque locum hìc obtineat illud Sapientis: *ἀμαρτάνει καὶ σοφὸς σοφότερος*, h. e. *Peccat etiam sapiente sapientior, à recto tùm judicandi, tùm vivendi tramite recedens.*

Sed quorsum hæc? Nimirum in ea quondam fui sententia, creationem terminari ad compositum, adeoque rerum à Deo in Hexaëmero productionem *creationis* nomine salutandam esse. Ita proposui in *Not. ad Instit. Jacchæi l. 3. c. 2. p. 201.* exprimitur (scil. ab Autore) terminus Creationis, seu id, ad quod terminatur creatio, diciturq; esse natura subsistens, sive ea sit incorporea, ut Angeli & Anima rationalis, sive corporea, uti sunt res corporeæ in Mundo. Ubi notetur, quod dum creatio dicitur productio rei, id intelligendum sit de re secundum se tota, non de partibus rei; productio siquidem propriè est totius, si nimirum res, que producitur, habet partes, uti est res corporea.

Non verò solus ego in ea hæsi opinione, verùm doctissimi gravissimiq; mecum Viri, secuti vestigia Thomæ totiusque Scholæ Thomisticæ, quorum cunctorum huc citare & in medium producere nomina non est opus. Unum solùm Dan. Stahlum nomino, acuti & accurati judicii Philosophū, qui quondam ipsam illam quoque sententiam tenuit, quando in Regulis suis Philosophicis (*edit. prim. anno 1622. Disp. 3. Reg. 2. th. 3.*) ita contra Timplerum scripsit: *Primò, non debet absolute & absque limitatione pronunciare, substantias, que sunt*

A

imè

immediatè ex nihilo, destitui materiã, & per consequens formã.
Cælum certè & terra habent materiã & formã, & nihilominus
sunt substantiæ immediatè ex nihilo creatæ, Genes. 1. Ita si Deus
jam crearet hominem immediatè ex nihilo, annon ille haberet cor-
pus & animam? Verùm ista non inveniunt locum in secundã
edit. anno 1633. in Diss. 4. Reg. 2. §. 4. p. 104. ubi non cælum &
terram, sed materiã primã & substantias separatas (intelli-
gens Angelos & Animã Rationalem) creatas sive immediatè
ex nihilo productas statuit. Nimirum Aristotelis monitum
secutus fuit. Jubet ille ita veritati nos addictos esse, ut pro-
pter eam vel nostra ipsorummet decreta evertere non dubi-
temus. Quo nomine citatur à celeberrimo Sennerto in Para-
lip. ad Libr. de Chym. cum Arist. & Gal. Conf. & Diss. p. 188. Imò
multoties ex nostro Stahlio audire contigit tritum & scitum
illud: *Dies diem docet; nec non & hoc: aliud edoctus, aliter
sentio.*

Quæ sanè & alia me movère quoquè, quò minùs tenã-
citer meis adhærerem sententiis. Nec fugit me illud Senecæ
l. 4. de benef. c. 38. *Non est levitas, inquit, à cognito & damnato
errore discedere; & ingenuè fatendum est; aliud putavi: Deceptus
sum. Hæc verò superba stultitiæ perseverantiæ est: quod semel di-
xi, qualecunque est, fixum ratumq; sit. Non est turpe, cum re-
mutare consilium, aut sententiam. Accedit Lud. Vives, quî
Tom. 3. de Disciplinis Lib. de Diss. p. 652. contra gloriæ cupi-
dum disputatorem hæc ponit verba: *Sed nos tamen momenta-
neam illam gloriam tantoperè affectanti concedamus facillè; modò
ipsi veritatis fructum teneamus. Ut si aberrâsse sentiamus nos, re-
vertamur in viam, sive ultrò, sive ab alio moniti. Quippe satius
& fructuosius est rectã ingredi, quò intendimus, quàm adversa-
rio non concedere de victoria, & pertinaciter tueri falsum: invicti
quidem persisteremus, sed contra verum, à quo vinci longè præstat,
quàm omninò contra illud tendere.**

A veritate me vinci passus fui, quando sententiam de
termino sive effectu creationis mutavi. Ut frustra sit, quî
mihi vel contradictionem, vel dissensum à Theologis obji-
cit. Utrumque enim temerè dicit, & minùs eruditè. Et
enim

enim quâ primum, quæ ille sibi contradicere dicendus est, qui, veritatis amore, sententiæ alicui valedicit, & aliam, in libro Scripturæ pariter & Naturæ fundatam, amplectitur? Quæ deinde Theologis adversabitur in re non Theologica? Nec quidquam obrectatorem juvat, quod garrit, primam rerum productionem in Scripturis esse descriptam, adeoque eam ad Theologum attinere. Sanè pueriliter admodum. Si enim propterea, quòd aliquid in Scripturis expressum vel descriptum habetur, ipsum est Theologicum, sanè Mathematica & Astronomica, item Physica & alia desinent esse rationalia, & evadent Theologica. Satis absurdè! Annon novit ille, Scripturam S. esse communè promptuarium, in quo non solum res fidei, verum quoque res rectæ rationis sive ad Philosophiam (disciplinas philosophicas) spectantes proponuntur & exhibentur? Ut frustra omnino sit garrulus ille, Theologis adversari clamitans, cum ne adversari quidem potuerim, in re Philosophica tractanda occupatus. Quæ verò Philosophus Theologo, aut hic illi, si uterque in suo constitutus sit foro, contradicere potest?

Cum igitur Schola nostra Philosophica, præeuntibus & facem præferentibus doctissimis Philosophis, videret, sententiam de creatione corporum locum habere & defendi non posse, illâ relictâ, oppositam statuere cœpit, nimirum, non creationi, sed generationi ortum corporum, ut quidem corpora sunt, esse adscribendum. Quod ut videat ille, qui Institutiones meas Physicas allatrare, meque contradictionis insimulare ausus fuit, ei fundamenta hujus sententiæ, quam Schola nostra hodiè tenet & defendit, ob oculos ponam, eamque ex aliorum non solum Philosophorum, verum quoque Theologorum scriptis demonstratam dabo.

Disputaturi de productione rerum seu corporū naturalium, eorumque nativo producendi modō, à primis initiis rem deducemus. Primò quæstionem formemus, deinde eius subjectum & prædicatum respiciamus, & hoc ipso fundamentum tractationis ponamus. Quæstio est 1. *quomodo corpus ex natura sua petat fieri; an generatione, an creatione?* 2. *an corpora habeant unum producibilitatis modum intrinsecum, vel, unam producibilitatis rationem, an verò aliam habuerint in hexaëmero, aliam verò producibilitatis rationem acceperint post hexaëmeron?*

§. 2. Responderit hîc quispiam, videri omninò, alium fuisse productionis modum in primo rerum molimine, ac fuit postea, & adhuc est in naturali atque ordinaria generatione, cùm aliter ibi productæ fuerint res corporeæ, nempe partim ex nihilo, partim ex inhabili materia; aliter verò hîc producantur, nempe ex materia habili, seu ad cuiusvis rei generationem destinata, adeoque ad ipsam (generationem) specialem rationem habente.

§. 3. Verùm videtur quidem alius esse modus, aliave ratio productionis, reverà tamen non est. Differunt enim solum quoad extrinseca, neutiquam quoad intrinsecam producibilitatis rationem. Unde solummodò est discrimen accidentale, non verò essentiale. Quæ res ut fiat manifesta, totumque negotium cupido veritatis Lectori constet, ad sequentia est attendendum.

§. 4. Primò: Si rerum productionem, vel potius producibilitatis rationem intueamur, eamque ad suū fontē revoceamus, sive ex primo principio eruamus, in lucem prodit, duos (nec plures, nec pauciores) esse modos fiendi intrinsecos, h. e. rerum naturis intrinsecè convenientes & competentes; nempe, omne quod fit sive producitur, id (juxta usitatos modos loquendi) aut fit ex aliquo, aut non fit ex aliquo, sed ex nihilo, vel, ut aliàs proponi solet, vel fit dependenter à materia & subjecto, vel non fit dependenter à materia; quorum prius generationis est, posterius verò creationis. Hinc auditâ vo-

de creationis, concipimus productionem rei ex nihilo, vel productionem à materia independentem; audirã verò voce generationis, concipimus productionem rei ex aliquo, vel productionem à materia dependentem.

§. 5. Ita præcipit Philosophia, ita Recta dicat Ratio, ita tota Philosophorum rectè sentientium præcipit Corona. Et quia apud non paucos plus valet dicentiũ authoritas, quàm Rectæ Rationis præceptum, unum atque alterum ex Doctõribus, & quidem è nostratibus, hac de re audiamus. Ita D. Jac. Martini b. m. in Partit. Metaph. l. 1. sect. 11. p. 498. Præcipuum in descriptione hac (Creatio est effectio alicujus ex nihilo) considerandũ est particula ex nihilo. Illã enim actio hæc distinguitur ab omnibus aliis, quatenus excludit omnem concursam causã materialis & dependentiam rei, quæ creatur, ab aliquo subjecto, ut idem sit dictum ex nihilo, quod ex nullo subjecto; & distingvatur hæc actio ab alia, quæ est de potentia subjecti. Distinctio hæc sufficiens est. Quandoquidem hæc due actiones omnem dividunt efficientiã. Ut igitur per illam particulam (ex nihilo) sufficienter creatio distingvitur ab eductione; ita sufficienter etiam per illam ratio creationis explicatur.

§. 6. Dn. D. Scharfius in Theor. Transc. Disp. 13. t. 64. ita proponit: in univèrsam duplex est modus, (intellige, ex parte objecti producibilis, non ex parte producentis) quo res à non esse ad esse progrediuntur; alter est è non præexistente materia, alter verò ex præexistente. Is dicitur creatio, hic generatio. De hac desudat Physica, de ista nos hic defatigemur. Quibus duo præcipuè agit; unum, quòd intrinsecos modos fiendi proponit, & quomodo res habeat ex parte objecti producibilis, exponit; id quod perspicitur ex verbis: *modus, quo res à non esse ad esse progrediuntur.* Deinde significat, de creatione tractare esse Metaphysici (quòd perperã hodie à quibusdam negatur) de generatione vero Physici.

§. 7. Dn. D. Calovius in Metaph. Divin. c. 12. p. m. 444. explicans definitionem creationis, scribit sic: *ex nihilo: ubi excluditur omnis concursus materiæ ex qua, ideoq; hoc ipso distingvitur à generatione, quæ est è præexistente materia.* Et mox: *m-*

creatione nulla supponitur materia, adeoq; dicitur ex nihilo. Quo ipso creationem à generatione essentialiter differre innuit. Sunt enim differentia essentialiter utriusque, fieri ex praexistente materia, &, non fieri ex praexistente materia sive subiecto. Quorum illud generationis est, hoc creationis.

§. 8. Inde fluunt hae propositiones, hae principia: *quidquid fit creatione, sive, quidquid creatur, illud ex nihilo produci- tur, & vicissim: quidquid ex nihilo produci- tur, illud creatur. I- tem: quidquid fit per generationem, id fit ex aliquo, & vicissim: quidquid fit ex aliquo, id fit per generationem. Similiter: quid- quid fit dependenter à materia, illud generatione fit, & vicissim. At verò, id quod fit independenter à materia, fit creatione sive cre- atur, & vicissim. Immutata hae sunt principia, in primo o- mnium rerum principio (quodlibet est vel non est) fundata. Etenim fieri ex aliquo, &, non fieri ex aliquo, item, fieri depen- denter à materia, & non fieri dependenter à materia, contradicto- riè disident. Id quod ex Prima & Universali Scientia prae- supponitur,*

§. 9. In hoc ergo versatur disputationis cardo; produ- ctio rerum naturalium in hexaëmero aut est creatio, aut est generatio. Inter hos enim duos productionis modos, ceu ex dictis & evictis constat, non datur medius. Ut igitur hinc veritatem profiteamur, respiciendum est ad hoc, an res factae sint ex aliquo, an verò non factae ex aliquo, sive, ex nihilo. Vel, quod eodem recurrit; an res factae sint concurrente ad ad earum productionem materia, vel non concurrente ma- teria. Si factae fuere ex materia ad productionem concu- rente, fuerunt generatae; si verò factae fuere citra concursum materiae, fuere creatae.

§. 10. Quod ut pateat, respiciendum nobis ad naturam objecti sive rei producibilis, adeoq; ad intrinsecam produci- bilitatis rationem, quae in Scholis vocari solet *ratio objectiva*, sive ratio objecti, quae est talis res, taliterque producibilis, & non aliter. Taliter, inquam, qualiter ejus natura petit exigitque, juxta tritum dictum Philosophicum: *modus fi- endi sequitur modum essendi, &: uti se res habet in esse, ita in fieri;*
de

de quō vid. Thom. par. 1. q. 96. ar. 2. Armand. de B. V. Tr. 2. c. 55.
sect. 7. p. m. 98. Suarez Diss. Metaph. 15. s. 2. nu. 10. p. 321. Ruviō
l. 1. Phys. tr. 2. de for. q. 1. nu. 10. p. 103. Jac. Martin. Qq. Ill. Cent.
4. Diss. 9. p. 176. Item ejus Exerc. Nob. de An. Exerc. 1. Theor. 3.
S. 1. Danbauer Psychol. Diss. 6. Theor. 4. p. 198. Scharf. Phys. Rec.
par. gen. l. 1. c. 3. p. 145. & par. spec. l. 2. c. 2. ax. 6. p. 655. Sperling.
Tr. de Orr. for. p. 6.

§. 11. Quia igitur ad naturam rei conformatur produci-
bilitatis ratio, ideò sicut una est natura seu essentia rei corpo-
ree, ita una quoq; producibilitatis ratio. Excluditur hoc ipso
agens, intellige, non ratione productionis simpliciter, hæc
siquidem requirit causam producentem; sed ratione intrin-
seci modi producendi, quòd in illo non comprehenditur, si ve
non attenditur agens. Fiunt enim res fieriq; gestiunt modò
sibi conveniente & ex natura sua ipsis competente, quod-
cunq; fuerit agens. Ita enim res sunt, quomodo Deus eas esse
voluit; ita fiunt, quomodo Deus instituit ipsas fieri. Insti-
tuit autem ipsas fieri taliter, qualiter naturis ipsorum con-
gruum est. In quo ipse Naturæ Conditor & Institutor præ-
ivit, res in Hexaëmero cunctas eodem modò, quantum ad in-
trinsecam producibilitatis rationem, producens, quo hodie
in Natura constituta producuntur. Verbo: produxit res
juxta naturas suas, quas ipsis dedit.

§. 12. Corporis autem, quòd impræsentiarum est produ-
ctionis objectum, natura est, quòd intrinsecè ex materia &
forma constat. Constatè verò ex materia & forma suppo-
nit factum esse ex materia & forma. Sicut enim e. g. pocu-
lum non potest dici constare ex auro, nisi factum fuerit ex au-
ro; ita nihil potest dici constare ex materia & forma, nisi ex
utraque factum fuerit. Unde Arist. in l. 1. Phys. c. 7. t. 65. u-
trumque conjungit, Si eorum, quæ naturâ constant, principia
sunt, ex quibus primis constant & facta sunt, unumquodq; id, quòd
per substantiam dicitur; patet, omnia fieri ex subjecto & forma.

§. 13. Sed inquis; hæc non videntur unâ stare. Essentia
enim est primum in re, & hoc ipso, quòd modus fiendi sequi-
tur modum essendi, essentia rei præsupponitur, ad quam con-
for-

formetur producibilitatis modus; & tamen hic dicitur, quod non constare ex materia & forma, quæ est essentia corporis naturalis, supponat non factum esse ex materia & forma. Prior ergo erit essentia objecti, & non erit prior. Resp. I. Supponitur, hoc negotium intelligendum esse de prioritate nature, non temporis. 2. Sicut ordo, ita prioritas & posterioritas nature est duplex: vel nature intendentis, vel nature generantis. Sic non solum simplicia sunt natura priora compositis, sed etiam composita simplicibus, ceu colligitur ex lib. 2. de part. an. c. 1. de quo vid. Zabarel. l. 1. de Method. c. 6. col. 143. Sic impresentiarum, si respiciamus ordinem nature intendentis, prius est non constare ex materia & forma, tanquam essentia corporis. hanc siquidem Natura intendit tanquam finem generationis; debet enim generari & generando produci essentia ex materia & forma constans; si verò respiciamus ordinem nature generantis, prius est produci ex materia & forma, quam constare ex materia & forma; non enim sistit natura substantiam ex materia & forma constantem, nisi generatione.

§. 14. Quo iterum edocemur, in rerum productione respiciendum esse ad objectum sive terminum productionis. Prout hic se habet, ita se habet productio. Hæc enim proportionari debet termino. Nimirum materialia sive ea, quæ à materia in esse & fieri dependent, materialem h. e. à materia dependentem; quæ verò à materia in esse & fieri non dependent, immaterialem h. e. à materia independentem habent productionem. Not. autem quod dictum: *Objectum*, sive *terminus*. Etenim idem, quantum ad rem, utraq; voce exprimitur, nimirum id, quod producitur. Dicitur autem *objectum* ratione potentie productivæ, *terminus* verò ratione productionis in actu. Quo pertinet trita illa distinctio: *res* possunt dupliciter spectari; vel *in fieri*, vel *in facto esse*. Quat. considerantur in fieri, dicuntur *objectum* potentie productivæ; prout in facto esse, dicuntur *terminus* productionis. Res enim producta, quatenus producta, proprie & accuratè loquendo, non amplius est *objectum* productionis, sed fuit
ob.

objectum productionis; nunc verò est ejus terminus, vel
causæ producentis effectus.

§. 15. Not. autem, quod, quantum ad rerum naturalium
ortum, *duplex productionis terminus* sese contemplantibus of-
ferat: *incompletus & completus*; hic est substantia completa,
ille est incompleta. Et propter geminum hunc terminum,
duplex quoque productionis ratio fit conspicua; nimirum *in-*
completa & completa. *Productio completa* est, quæ terminatur
ad rem completam, talis est productio cæli, terræ, hominis,
&c. *incompleta* est, quæ terminatur ad rem incompletam, cu-
jusmodi est productio materiæ primæ, & cujusvis formæ.
Nimirum omnis actio rationem & denominationem suam
habet à termino, id quod hîc, tanquam notum & certum,
supponimus.

§. 16. Ut igitur rei compendium faciamus, in cœpto
tramite persistimus, tædiosas *λογουαχίας*, quibus nihil tur-
pius in seriis disputationibus, nihilque magis noxium esse
potest, (siquidem simpliciores confundunt, & præoccupata
obstinatiores reddunt) mittentes, & proprietatem atque
ἀκριβειαν Philosophicam observantes, sectantes. Juxta hanc,
uti toties inculcatum, creatio strictim non est nisi rerum,
quæ in esse & fieri à materia nullam habent dependentiam.
Cujusmodi res, cuiusmodi entia tantummodò tria sunt: An-
geli, materia prima, & anima rationalis. Quidquid verò
est reliquorum entium, quæ facta sunt, aut etiamnum fiunt,
eorum ortum generationi adscribendum esse contendimus.

§. 17. Hisce præmissis, ponimus distinctas aliquot Con-
clusiones. I. *Corpus non creatur, sive, corporis non est creari*. Pro-
batur 1. Quidquid non fit, nec vi naturæ suæ fieri gestit ex ni-
hilo, ejus non est creari vel creatione produci. Corpus non
fit, nec vi naturæ suæ fieri gestit ex nihilo. Er. corporis non
est creatione fieri. Major constat ex definitione creationis;
Minor etiam patet, siquidem corporis natura est ex natura &
forma constare. Quidquid v. talem habet naturam, illud
non potest ex nihilo fieri, sed petit fieri ex illis, ex quibus con-
stat. Prob. 2. quidquid ex natura sua est proprius & natus

B

genera-

generationis terminus, illud non est terminus creationis, vel, quod eodem recidit, id non est creatione producibile. Sed corpus sive compositum Physicum ex natura sua est proprius & nativus terminus generationis. Er. Corpus, vel, quod perinde est, compositum physicum non est creatione producibile. In hoc syllogismo & Major & Minor propositio est inpropatulo. Verbò dico; contradictionem involvit, corpus creari, cum naturæ corporis, uti quidem corpus est, repugnet creatio.

§. 18. Concl. II. *Corpora in Hexæmero propriè & verè non fuere creata*, Hujus conclusionis probatio desumitur ex antecedente. Nullum compositum Physicum est terminus creationis. Cælum, terra & reliqua corpora in Hexæmero producta, sunt composita physica. Er. Cælum & terra, reliquaque corpora in Hexæmero producta, sunt termini creationis. Major constat; repugnat siquidè, esse compositum substantiale, & creationis terminum esse. Quia n. creatio, uti quidem ejus definitio habet, est productio rei ex nihilo, h. e. ex nullo subjecto, idè ejus terminus non potest esse nisi entitas simplex & incomposita, vel, si mavis, à materia in esse & fieri independens. Deinde: Quidquid non est factum ex nihilo, sed ex aliquo, id non est creatum propriè. Corpora in hexæmero, nempe cælum & terra, omniaque reliqua corpora non sunt facta ex nihilo, sed cuncta ex materia facta sunt. Er. corpora in hexæmero non sunt creata propriè. Major per se constat; Minor probatur: quia corpora primitus facta, hoc ipso quo corpora sunt, constant materiã & formã. Repugnat v. corpora constare ex materia & forma, & tamen non esse facta ex materia & forma.

§. 19. Qua in re nihil efficit, si distingvas inter *creationem mediatam & immediatam*, dicasque, syllogismos concludere quidem de creatione immediatã, non verò de mediatã. Incidis enim in scyllam, quærens vitare charybdin. Creatio enim mediatã non minùs est creatio, ac nalus cereus est nalus. Quod ne solummodò dixisse videamur, ex utriusque definitione sive descriptione rem dilucidam faciemus. Præstabimus

stabitur autem id non nostris, (hæc enim fortè suspecta essent) sed aliorum Doctorum Virorum monumentis hanc in rem adscitis & adhibitis.

§. 20. Ductor hac in re nobis sit D. Meisnerus b. m. qui in part. 1. Phil. sobr. s. 3. c. 3. q. 2. p. m. 779. ita rem proponit: Ait, se discrimen inter creationem ἐπιγεγονναι καὶ ἀγεγονναι non negare, triplicem tamen adhibendam esse cautionem monet. Primò, Quod immediatio duplex fit; alia efficientis, alia materia. Illa coefficientem, hæc materiam præexistentem excludit. Priori sensu, pergit, omnia sunt à Deo immediatè creata, quia à solo Deo; de posteriori autem dubitatur &c.

§. 21. Ubi notanda duo: I. quòd D. Meisnerus discrimen inter utramque agnoscat, divisionem verò creationis in suas species non admittat. De quare audiamus Dn. Scheiberum b. m. (hunc enim, aliis doctis Philosophis hîc sepositis, peculiari consiliò adhibendum censuimus) qui l. 2. Metaph. c. 3. num. 615, p. m. 318. h. m. hac de re tradit; distinguere solet creatio in mediatam & immediatam, sub qua divisione non continentur nisi vocis distinctio. Estque sensus illius, quòd vox creationis aliter & aliter sumatur, ut istas denominationes suscipiat.

§. 22. Qua in re sequentia observanda veniunt. 1. quòd ait Dn. Scheiberus, distinctionem hanc esse vocis, non divisionem rei. 2. sensum esse, vocem illam aliter atque aliter accipi solere à Doctoribus. Quà primam, quòd nimirum non sit divisio generis in species, res sit liquida h. m. In divisione generis in species, generis definitio debet competere subjectis speciebus. Jam verò definitio creationis non competit creationi mediatæ. Er. creatio mediata non est species creationis. Major ex Logicis nota est, ubi docetur, quòd 1. species participet naturam generis; 2. quòd genus & generis definitio cōpetant speciebus, de illisq; prædicentur. Hinc: cui tribuitur genus, ei cōpetit generis definitio. Subsumo: Sed creationi mediatæ nō competit creationis, tanquàm generis, definitio. Er. creationi mediatæ non tribuitur creatio, vel, quòd idem est; Er. creatio mediata non est creatio. Item: cui competit definitum, ei quoq; competit definitio, & vicissim; contrà verò, cui non

competit definitio, ei nec definitum, sicut cui non competit definitio hominis, id propriè non est homo. Jam verò creationi mediata non competit definitio creationis. Er. creatio mediata propriè non est creatio. Deniq; genus aptum est universaliter prædicari de speciebus, species verò particulariter de genere. Hoc v. in præsentiarum non fit, nec fieri potest; non n. quis dicere, creationem mediatam esse creationem, siquidem definitio creationis creationi mediata non competit; nec affirmare potes, aliquam creationem esse creationem mediatam, ob eandem rationem, quæ præstat, ut creatio mediata tanquam species, sub creatione, tanquam genere, non contineatur.

§. 23. Nec *mediatum* & *immediatum* sunt differentia divisiva, h. e. creationem tanquam speciem subalternam, quæ in hoc casu rationem generis haberet, in inferiores species dividentes, sed sunt voces terminum creationis modificantes & determinantes, quarum altera ponit creationem, altera tollit. Tò *immediatum* additum creationi ponit creationem, tò *mediatum* verò additum creationi, eam tollit. Est enim hæc determinatio alienans, uti in Scholis vocatur, h. e. talis, quæ tollit formalem rationem termini, cui additur. Inde argumentor: quæcunque determinatio tollit rationem formalem creationis, ea non est determinatio generis ad speciem, adeòque non sistit speciem sub creatione tanquam genere. Sed tò *mediatum* tollit rationem formalem creationis. Er. tò *mediatum* non est determinatio creationis (ut generis) ad aliquam speciem, sive, non sistit speciem sub creatione tanquam genere. Non er. creatio mediata magis est creatio, quam homo pictus aut mortuus est homo.

§. 24. Deinde urgeo, quòd differentia divisiva generis fit constitutiva speciei. Sed tò *mediatum* non constituit ullam speciem creationis. Differentia enim repugnans generi, illud dividere, adeòque speciem constituere nequit. Tò *mediatum* verò repugnat creationi. Imò denique nec creatio sub se species habet, sed ipsa est species infima. *Productionem*, tanquam genus, dividunt tò *immediatum* & *mediatum*, neutriquam

cuquam creationem, quæ est species productionis, & in im-
mediatione consistit. Ita res habet: *productio* æstimata ex
parte objecti producibilis, est vel *immediata*, vel *mediata*.
Fundamentum est, quod omne quod est producibile, vel ge-
stit produci immediate, h. e. independenter à materia, vel
mediate, h. e. dependenter à materia. Atque hinc *productio*
mediata est, quæ fit citra dependentiã à materia sive subjecto,
& h. e. *productio* creativa seu creatio; *productio mediata* est, quæ
fit dependenter à materia sive subjecto. & hæc est generatio.

§. 25. Not. 2. quod ait Dn. Meisnerus, *de posteriori dubi-*
tari, rationem addens, *quoniam ex informi materia producta*
putantur, addo: & comuniter statuuntur. Ubi iterum duo no-
tanda: (1.) quod inquit, *dubitari*, non verò *se dubitare*, signifi-
cans, eam sententiam ita esse comparatam, ut dubium pro-
gignat. Rem ipsam ergo respicit, non personas, quæ dubi-
tant. (2.) Non statuit Dn. Meisnerus, & priori & posteriori
sensu modòve dici (aut dicendas esse) res creatas, sed *posteri-*
orem modum esse dubium ait, ob rationem, quam subjungit,
quia ista putantur esse producta ex informi materia. Ut hic inde
prodeat Syllogismus: quidquid est productum ex præsup-
posita aliqua materia, illud propriè fuisse creatum dubium
est. Res primùm conditæ, productæ fuere ex aliqua præsup-
posita materia. Er. res primùm conditas propriè fuisse crea-
tas dubium est. Major constat, siquidem creatio (propriè
dicta) excludit materiam, ut contradictio sit, aliquid dicere
creatum, & tamen idem ex materia (quæcunque etiam, vel
cujuscunque conditionis ea sit) factum statuere. Min. pro-
batur, siquidem informis materia æquè est materia, ac ea, quæ
formã aut dispositiones pro educenda forma habet. Er. infor-
mitas non tollit materiæ substantiam, sed notat ejus conditio-
nem & statum, h. e. ejus nuditatem & vacuitatem à formis.

§. 26. Deinde, D. Meisnerus distinctione utitur, *ni-*
hilum (quantum scil. ad præsens) *dupliciter dici*: *vel per nega-*
tionem entis, quo modo materia prima ex nihilo creata; vel per in-
dispositionem, quandoquidem aliquid præexistit, istud tamen ad
rem inde formandam planè est indispositum, ut jure pro nihilo ha-
beris

beriqueat. Hoc pacto omnia ex nihilo facta dici queunt. Observatu dignum hic est, quod ait B. Meisnerus; *dici queunt*, minime verò; *dici debent*, aut *dicenda veniunt*. Vult proinde Dn. Meisnerus, corpora in Hexaëmero producta posse suo certò modò dici creata, vel, quod reputari possint, ac ex nihilo sint facta, siquidem nihil dispositionum (sive, nullæ dispositiones) præextiterit in illa materia pro formis rerum educendis; non verò ait, *ista propriè & verè esse creata*, siquidem, ut antè habuit, ex materia, quamvis informi, producta fuère.

§. 27. Objicis, materiam, quæ actioni illi subjicitur, esse inhabilem, & ex consequente non esse verè materiam. Nam in materia præsupponiturabilitas seu potentia ad accipiendam formam. Er. ubi illa potentia non est, nec verè materia est. Er. ex inhabili materia producere, perinde est, ac ex nulla materia, adeòque ex nihilo producere, ita Dn. Scheibl. l. d. p. 319. Verum ista minus rectè, minusque accurate proponuntur. Primò, falsum est, materiam inhabilem non esse verè materiam. Argumentamur: quæcunque materia tanquam subjectum, ex quo fit res, substernitur actioni productivæ, ea verè, imò propriè dicta est materia. Sed materia illa informis, quam dicunt, tanquam subjectum, ex quo res naturales primitus conditæ fuère, substrata fuit actioni productivæ Dei. Er. materia illa informis reverà fuit materia, & propriè dicta materia. Fundamentum, cui innititur argumentatio, est materiæ natura & definitio, quæ utique materiæ isti, quæ primæ rerum productioni substrata fuit, competit.

§. 28. Quando verò ait Dn. Scheiblerus, *in materia supponi habilitatem seu potentiam ad accipiendam formam*, confundit distinctissima. Aliud siquidem est *potentia materiæ*, aliud *habilitas* sive idoneitas materiæ ad formam recipiendam. *Potentia* materiæ est ei nativa & essentialis; imò materia, quanta quanta est, *dynamis* seu potentia passiva est; *habilitas* verò ei est accidentaliter & extrinseca, siquidem ei inducitur à generantibus, materiam disponentibus, & hoc ipso ad certam formam restringentibus. Unde in materia, prout subjectum
gene.

generationis est, non tam dicitur supponi potentia, quam ipsam revera esse potentiam, puta, passivam. In materia vero, prout ex ea jam actu fieri debet res certae speciei, supponiturabilitas tum ad actionem generantis; *non n. quodlibet agit in quodlibet*; tum ad formae generatione introducendae receptionem; siquidem *non quodlibet fit ex quolibet, nec quodlibet quodvis recipit, sed actus eorum, quae agendi vim habent, recipiuntur in disposito*, uti pulchre habet, *Arist. l. 1. Phys. t. 43. lib. 4. de Coel. t. 22. & l. 2. de an. t. 24.* De quo vid. *Stahlian Reg. par. 2. Diss. 5. Reg. 5. p. 125.*

§. 29. Quantum autem ad habilitatem materiae, pro certa forma recipienda, ea, uti dixi, materiae accidit, adeoque, five adfit, five absit, ejus substantiam non tollit aut mutat. Imò materia ex se indifferens est ad quascunq; formas, nec, quantum est ex se, magis ad hanc, quam ad illam propensa est. Quod autem habilis est ad hanc aut illam formam recipiendam, à generantibus habet, utpote quae illam disponunt, & disponendo habilem atque idoneam reddunt ad certarum formarum receptionem. Argumentor igitur secundò loco: quidquid materiae Physicae, in quantum commune generationis subjectum est, & hoc ipso ad quascunque formas naturales ex se indifferens, accidit, illud ejus substantiam non mutat, aut aliam in re materiam praestat. Sedabilitas, materiae per dispositionem agentium acquisita & inducta, ei in quantum est commune generationis subjectum, & propterea ad quascunque formas ex se indifferens, accidit. Etabilitas materiae à generantibus inducta non mutat ejus substantiam.

§. 30. Hisce observatis, judicare denique de illatis Dn. Scheibleri rectè possumus. Primum illatum: *Ubi ergo potentia materia non est, ibi nec verè materia est*; rectè hoc infertur; siquidem potentia est de essentia materiae. Minus verò rectè dicitur quando dicitur: *Ubiabilitas materia non est, ibi non est verè materia.* Est enim revera materia, five naturaliter habilis fit ad recipiendum formam, five non fit. Not. quòd dictum; *naturaliter habilis.* De tali enim habilitate sermo est & negotium. Nec enim ex omnino inhabili materia Deus

res condidit; non inhabili & indisposita materia formas rerum indidit; sed eo ipso, quo res effecit, materiam habilem & idoneam formis recipiendis reddidit. Non enim qualibet forma quamlibet ingreditur materiam, nec qualibet materia quamlibet recipit formam; sed materia debet esse disposita & idonea reddita ad hanc aut illam aliamve formam recipiendam, uti Philosophus noster requirit tum in antè citatis locis, tum prætereà in *lib. 2. Phys. t. 26. & l. 1. de an. t. 51. lib. 2. de an. t. 26.* quodcumque fuerit agens materiam disponens, & cujusmodicumque fuerit dispositio, sive naturalis & successiva, sive supernaturalis & instantanea, sicut e. g. se res habebat, quando Salvator ex aqua vinum efficiebat, *Johan. 2, v. 7. & 8.*

§. 31. Secundum Dn. Scheibleri illatum ita habet: *Ex inhabili materia producere perinde est, ac ex nulla materia, adeoq; ex nihilo producere.* Verùm hoc minùs rectè infertur, nec quidquam veritatis sapit. Etenim ratione dispositionum, quæ materiae accidunt, non venit æstimanda vel creatio, vel generatio, si in præcisa sua natura spectentur, siquidè ratio formalis creationis non ex negatione dispositionum in materia, sed ex negatione materiae simpliciter æstimanda venit. Et sicut dispositiones nihil faciunt ad entitatem materiae, ita earum negatio nihil facit ad rationem formalem vel creationis vel generationis præcisè spectatæ constituendam & stabiliendam, sed ut sit formaliter creatio, requiritur, ut ab actione productiva simpliciter absit materia. Ut imò tum perstet nostrum argumentum: quidquid non est productum ex nihilo, id propriè non est creatum. Sed ea, quæ in Hexaëmero producta fuere ex materia inhabili, non fuere producta ex nihilo. Er. ea quæ fuere producta ex inhabili materia, propriè non fuere creata.

§. 32. Notetur v. distingvendum esse inter hæc duo: *perinde esse, & similitudinem habere.* Non negamus, quòd aliqua analogia & similitudo ibi locum habeat, h. e. quòd materia inhabilis quodammodo similis sit nihilo, vel, pro nihilo haberi possit; at v. quòd perinde sit, *ex inhabili materia aliquid produ-*

§. 39. Imò quoque rectè & verè dicis, quando conver-
sim dicis, *omne quod est compositum, fieri, h. e. generari.* Si enim
compositum proprius & nativus generationis terminus
est, uti esse cuncti fatentur rectè sentientes, non potest id al-
liter fieri, quàm generatione. Repugnat enim aliquid esse
generationis terminum, & id aliter quàm generatione fieri.
Vel, quod eodem recidit, desinit aliquid esse compositum, si
aliter quàm generatione fit.

§. 40. Nunc probatur tertia Conclusio. i. Relinquitur
ea ex præcedentibus Conclusionibus. Si enim naturæ cor-
poris repugnat, ipsum creari seu creatione produci, sequi-
tur ipsum, vi naturæ suæ, generari, seu generatione produci.
Non enim datur alius productionis modus, qui intrinsecè
rebus conveniat, præter istos duos. Probatur 2. h. m. Quid-
quid intrinsecè ex materia & forma constat, illud naturâ suâ
ex materia & forma fieri h. e. generari petit. Omnia corpo-
ra intrinsecè constant ex materia & forma. Er. omnia corpo-
ra ex materia & forma fieri h. e. generari petunt.

§. 42. Conclus. IV. Corpora in Hexaëmero cuncta generan-
do fuere producta. Sequitur hæc ex antecedente Conclusio-
ne, nimirum: Cujus rei (producibilis) natura est ex materia
& forma constare, id naturæ suæ conditione ex materia &
forma fit, quando producitur. Sed Cœli, Terræ & reliquo-
rum corporum in Hexaëmero conditorum natura est ex ma-
teria & forma constare. Er. Corpora ista naturæ suæ con-
ditione ex materia & forma sunt facta, quando sunt facta.
Quicquid verò factum est ex materia & forma, id generatio-
ne est factum.

§. 42. Quod ipsum clarè proponit Historia Creationis
in Genes. c. 1. quando refert, ex aquis pisces, ex terra herbas a-
liasque plantas, animantia item terrestria, ipsumque deni-
que hominem formatum & factum esse. Quibus efficacis-
simum nobis suppeditatur argumentum: quicquid factum
ex materia elementari, id generationi ortum suum adscribit,
non creationi. Sed corpora enumerata ex materia elemen-
tari facta sunt. Er. Corpora illa generationi ortum suum ad-

adscribunt, non Creationi. Minor ex Scripturis constat: Major est principium à Recta Ratione haustum, cui nemo refragari potest. Imò absurdus est, qui vel statuit, vel admittit, id quod ex materia elementari factum est, creatum fuisse, si vocis proprietatem, & quâ rem ipsam, veritatem sectari voluerit.

§. 43. Sed excipis & urges phrasin Scripturæ, quòd in creationis historia verbum *creavit* adhibeatur. In principio enim historiae dicitur, quòd *Deus in principio cœlum & terram creaverit*. Idem dicitur quoque de sequentium dierum operibus, & in specie de productione animantium, v. 21. item de hominis, quòd *Deus ista creaverit*. Ita quoque Formula Concordiæ, ita præcipui Theologi semper locuti fuerunt.

§. 44. Resp. I. Cuncti de Christiano grege homines ita loquuntur, quando non solum confitentur in primo Symboli Apostolici Articulo, *Deum creasse Cœlum & Terram*, verum quoque creasse se ipsos. *Credo, quòd Deus creavit me*, inquit unusquisque nostrum. Hic verò quæstio est, an propriè creati dicamur, an impropriè? Nemo sanè sanorum qui est hominum, dixerit, se propriè creatum esse, cum genitum se esse à parentibus sciat, atque fateri necessum habeat. Nec affirmare potes, te & generatum & creatum fuisse, voce utraque propriè acceptâ. Non enim in Philosophiæ solum, verum quoque & Philologiæ impingis principia. Qui ergo propriè genitus diceris, impropriè creatus dicendus venis.

§. 45. Recoluisse ergo juvat II. quod supranotavimus, nos vocem *Creationis* propriè & strictè sumere, propriamque ejus significationem non supponere solum, verum quoque urgere. Est autem propria & stricta vocis illius significatio, quæ dicitur esse *productio alicujus ex nihilo*. Quòd si verò aliis quoque productionibus vox *creationis* tribuatur, uti omninò multis tribuitur, id non propriè, verum impropriè & certâ vocis accommodatione, adeoque juxta translaticiam vocis acceptionem fieri censendum est.

§. 46. Not. quòd dixi; certâ vocis accommodatione &c. Duplex enim observatur *vocum sive terminorum significatio*; *ferè*

formalis & materialis. Illa est, quam vox habet absolute & secundum se, in qua definitur, sive ejus ratio formalis explicatur; Hæc est, quam vox habet ex restrictione ad certam materiam, ad cujus quasi nutum significat. Sic formalis vocis *materie* significatio est, qua denotatur principium, ex quo aliquid fit & constat; significatio vero materialis illius vocis est, qua denotat vel materiam in qua, sive subjectum, in quo aliquid recipitur, vel materiam circa quam sive objectum. Sic est cum voce *Creationis*, quæ formaliter significat productionem ex nihilo, materiales significationes multas quoque sustinens. Confer *D. Danhaueri Id. Bon. Interp. par. 1. sect. 3. art. 7. p. 157. & seqq.*

§. 47. Resp. III. Distingvendo inter *rem & rei modum*. Rem proponit Scriptura Sacra, quando Cælum & Terram, aliaque cuncta corpora in Hexaëmero creata fuisse narrat; sed modum non explicat, verum illum certis suis disciplinis relinquit. Nec enim in Scripturâ Sacrâ voces seu terminos, quibus ipsa hoc in negotio utitur, expositas, aut modum productionis inibi declaratum cernimus, sed partim Philologia, partim Philosophiæ id relictum esse agnoscimus.

§. 48. Quæ voces & terminos, has ex doctrina *ἐπιλυσι* proponimus, vel potius supponimus regulas: 1. Non ex nuda voce, & quidem varias significationes habente, iudicium de re faciendum, sed res ipsa spectanda est, ut inde, quam significationem termini obtineant, cognoscas. Sic quando Scriptura S. de Deo Patre ait, quod genuerit filium, sicut in *Psal. 2. v. 7.* legimus, *hodie genui te*; certè non secundum verba aut nativas eorum significationes intelligere id aut exponere debes, sed subjecta materia spectanda, & quia generatio divina ab æterno facta ibi docetur, voces ita accipiendæ, ita quoque explicandæ sunt, ut rei, quæ proponitur, nimirum æternæ Filii Dei generationi congruum est. Et sic in aliis similibus.

§. 49. Reg. 2. Non necesse est, nec res vel in Scripturâ, vel in Naturæ Libro propositæ exigunt, ut voces semper & ubique accipiantur propriè. Nec id, ob multitudinem re-

C 321

rum, & penuriam vocum possibile est. Sic videmus in Scripturis Sacris res arduas & altissimas doctrinas vocibus improprie significantibus, & ad hanc illamve materiã translatis accommodatisque describi aut enunciari. Sic quando *Johannis 1. v. 9.* Christus dicitur *lux vera, illuminans omnes homines*; quando *Jesaiã c. 40. v. 11.* item *Ezech. cap. 34. v. 23.* dicitur *pascere oves suas*, &c. verba *illuminare* & *pascere* improprie sumuntur, & significant ad exigentiam materiæ. Alia exempla mitto, cum nemo sit, qui ignoret, Scripturam Sacrã tot Tropis, Metaphoris aliisque figurarum luminibus abundare, tum ut ampliorem & magis exactam rerum explicationem tradat, tum ut singularem earum gravitatem & vim ostendat.

§. 50. Reg. 3. Improprietas vocum nihil derogat rebus per voces significatis. Res enim manent, uti secundum se sunt, quidquid sit, quod vocibus improprie significantibus & certo modo accommodatis efferuntur. Sic dicitur *Christus vera lux, quæ in mundum venit*; & tamen non est proprie dicta lux; dicitur *illuminare Mundum*; quæ tamen est illuminatio improprie dicta. Sic dicit Aristoteles, quod *materia appetat formam*, & alias dicitur, quod *cuncta appetant bonum*, quæ verè dicuntur, impropria verbi *appetere* significatione non obstante.

§. 51. Reg. 4. Unius vocis una est significatio propria, non duæ aut plures. Hanc, secuti *D. Meisner. b. m. in par. 2. Phil. Sobr. sect. 1. c. 1. q. 12. p. m. 127.* supponimus, tanquam à Philologis probatam. Ita tradunt & docent *Fabius Quintil. l. 1. Instit. Orat. c. 9. & l. 7. Instit. Orat. c. 2. Scalig. lib. ult. de CC. L. L. cap. ult. P. Ramus lib. 16. Scholar. Rhetor. Heizo Buscher. in fascic. 99. de Tropo c. 2. q. 2. p. 22. & 23. Alsted. l. 1. Rhetor. c. 2.* Quibus omninò addendi è nostris *D. Meisnerus l. d.* qui ex illo principio contra Pontificios disputat, & probat, proprie dictam adorationem cultum divinum esse, soli que Deo convenire. *D. Cass. Finckius par. 1. Schediasm. 29. p. 93 & Sched. 44. p. 157.* ubi contra Calvinianos disputat; contra utrosque autem principium illud adducit & urget *D. Glassius b. m. in Philol. Sacr. lib. 2. par. 1. tract. 2. sect. 1. art. 3. Can. 2. p. 339. seqq.* Hæc, inquam, ex doctrinã *egulw. nix* supponimus. §. 52.

usus fuit Moyses. Redit eadem argumentatio. Quidquid ita est factum à Deo, ut formatum fuerit è subjecta aliqua materia, illud non est creatum juxta propriam & strictam vocis acceptionem. Sed Homo ita fuit factus à Deo, ut formatus fuerit ex aliquâ materia, nim. ex terra. Er. homo non fuit creatus, juxta propriam & strictam vocis (creatio) acceptionem. Et repugnat omnino atq; contradictionem implicat, esse formatum ex terra, & esse propriè creatum, h. e. productum ex nihilo.

§. 57. Similiter se res habet cum productione Evæ, quæ ex costa Adami formata dicitur, *d. ca. 2. v. 22.* Quid hîc aliud dicamus, quàm productioni Evæ definitionem creationis non competere? Sit syllogismus: cui non competit definitio creationis, ei nec definitum, nempe creatio, competit. Sed productioni Adami & Evæ non competit definitio creationis. Er. productioni isti non competit creatio, vel, quod idem est; Er. productio Adæ & Evæ non est creatio, intellige, propriè dicta.

§. 58. Resp. V. eû haftenus ex vocibus, quibus descripta extat creationis historia, de præsentè negotio sententiã dixerimus; consequens nunc est, ut dispiciamus, quid hac de re tû ex creationis, tum ex rerum creatarum natura judicare liceat. Notamus igitur 1. vocem *creationis*, quantum ad præsens attinet, *dupliciter posse accipi: vel propriè & strictè, pro ea tantum productione, qua res immediatè fit ex nihilo; vel latius quodammodo, pro ea actione, qua res remotè & mediatè procedit ex nihilo, quat. nimirum ab aliquo, quod ex nihilo productum est, in esse & fieri dependet, juxta quam acceptionem illæ quoque res vocari possunt creaturæ, quæ quamvis non sint immediatè ex nihilo, tamen sunt ex eo, quod ex nihilo productum fuit.*

§. 59. Not. 2. *rem fieri ex nihilo*, posse dupliciter intelligi; *vel ex nihilo subjecti, h. e. ut nullum subjectum præsit & subsit actioni productivæ; vel ex nihilo sui in subjecto, quomodo formæ materiales fiunt ex nihilo.* Ubi prior modus præstat creationem, ceu ex suprâ dictis notum est; posterior verò modus in generatione locum habet. Mediat enim hîc subje-

D

ctum

Etum & materia. Ubi verò hæc mediat, ibi non creationi, sed generationi locus est.

§. 60. Dicuntur ergo res creatæ, quomodo creati, h. e. ex nihilo produci potuerunt, nimirum *vel*, quat. immediatè ex nihilo processere, ut Angeli, Materia prima, & anima intelligens tam in Adamo, quam in Eva; *vel* quat. ex eo sunt facta, quod ex nihilo immediatè productum fuit, nempe ex materia & primo omnium subjecto, ad formas rerum naturalium ex se inhabili, habili tamen reddito per verbum omnipotentis Dei, qui ex quolibet quidlibet (ut ex aqua vinum, ex lapidibus filios hominibus &c.) facere potest. Quæ in re prior modus sistit puram & propriè dictam creationem, posterior vero creationem sui modi sive analogicam, propterea quòd nihil dispositionum ad formas rerum in materia præcesit.

§. 61. Inquis: dicuntur tamen Cælum & terra à Deo creata. Verùm responsum jam; prout creati potuerunt. Non verò potuerunt ex nihilo immediatè produci, siquidem reverà ibi mediat materia, ex qua & facta sunt & constant. Deinde, si propriè & verè essent creata Cælum & Terra, sequeretur hoc inconveniens, eandem actionem pariter à materia independentem & ab ea dependentem esse. Etenim quæ productionem materiæ esset actio à materia independens, quæ educationem vero formæ Cæli, & formæ terræ, esset actio à materia dependens. Consequens autem est absurdum; Er. absurdum quoque antecedens.

§. 62. Regeris; sed annon ratione diversorum eadem actio potest esse creatio & generatio? Respondeo; non; hoc enim nostrum argumentum est: ubi specie diversi & oppositi dantur termini, ibi specie diversæ dantur actiones. In productione Cæli & terræ dantur specie diversi & oppositi termini. Er. dantur specie diversæ actiones. Major constat; Minor probatur, siquidem materia, ex qua factum cælum, est terminus productus independentem à subjecto; non enim aliam materiam aut subjectum prius agnoscit; forma vero cæli, item forma terræ, sunt termini actionis à materia dependentis. Ut illum creationi, hunc generationi adscribi videamus.

§ 63.

§. 63. Denique argumentamur h. m. quæcunq̄ue actio à parte rei non est alia quàm eductio formæ è potentia materiæ, illa actio non est (nec potest esse) creatio. Hæc siquidem est actio independens à materia. Atqui productio Cœli (uti & terræ) à parte rei non est alia actio, quam eductio formæ cœli è potentia materiæ. Er. productio Cœli (uti & terræ) non est (nec esse potest) creatio, & per consequens non est eadem actio, qua facta fuit materia. Hæc enim est creatio.

§. 64. Tenendum igitur, ceumonet *Ruvio l. 1. Phys. tr. 2. de for. q. 2. p. 106.* quòd *ad productionem Cœli (uti & Terræ & cuiuslibet Elementi) due actiones realiter distinctæ fuerint requisitæ: prima fuit partialis productio materiæ ex nihilo; secunda vero eductio formæ de potentia materiæ.* Hæc uti rectè proponuntur à Ruvione, ita contrà in subsequis verbis huic rei sibi que ipsi minùs congrua affert ille, quando pergit: *illa (partialis materiæ productio) præcessit hanc (formæ eductionem) non secundum tempus vel instans temporis, sed secundum naturam vel rationem nostram, quâ prius intelligimus subjectum esse, ex quo educenda forma, quàm formam ipsam, vel eductionem eius, &c.*

§. 65. Hæc verba posteriora cum prioribus non consentiunt. Si enim actiones illæ sunt realiter distinctæ, sanè præcedentia, adeòq; & prioritas secundum rem intelligenda venit, neutiquam juxta nostrum concipiendi modum. Modus enim prioritatis & posterioritatis conformis debet esse modo distinctionis, & vicissim. Et repugnat, inter quædam esse prioritatem & posterioritatem rationis, & illa tamen realiter distingvi. Adeoque si nullum inconueniens sequitur realem utriusque illius actionis distinctionem, neque inconueniens aliquod sequetur exinde, si unam alterâ tempore, adeoque re ipsâ priorem esse statuamus.

§. 66. Et hætenus quidem nullum nobis obvium est, ut omninò descendamus (salvò tamen aliorum iudiciò) in sententiam Theologorum & Philosophorum illorum, (sunt autem plurimi, ii que doctissimi) qui statuunt Mundum dici creatum vel factum ex nihilo ratione materiæ ex nihilo factæ. Ita, præter suprâ nominatos, *D. Jac. Heerbrandus in Comp. The-*

ol. Loc. de Creat. p. m. 135. D. Hasenreffer Loc. Theol. lib. 1. Loc. 2.
p. 72. D. Jac. Martini in Part. Theol. disp. 3. th. 41. & 44. Vaz-
quez. par. 1. q. 45 art. 1. & disp. Metaph. 26. cap. 4. Rav. l. d. Petr.
Hurt. de Mendoza Disp. Phys. 4. f. 2. Qui tamen non cuncti eo-
dem modo de hac re loquuntur.

§. 67. Et horum vestigia ut premamus, urget nos argu-
mentum supra allatum, nimirum: si repugnat unâ eademq;
actione fieri materiam & rem ex materia & forma constan-
tem, sequitur, in primo rerum molimine aliâ actione materi-
am esse productam, aliâ verò Cœlum & Terram. Prius est,
ceu supra probatum. Et & posterius. Atque sic manet, quod
productio Cœli & Terræ realiter sit distincta à productione
materiæ, siquidem illa ex natura sua est generatio, hæc vero
creatio. Generatio vero & creatio non possunt esse una actio,
ceu manifestum ex dictis.

§. 68. Summa responsionis ad argumentum ex *Genes. cap.*
1. desumptum huc redit: 1. In litera Scripturæ manemus, cum
Cœlum, Terram & reliqua corpora creata esse profite-
mur, modò quod vocem tunc minus propriè accipi, & pro-
priam vocis, *Creatio*, acceptionem, quantum ad præsens, tan-
tùm in productione materiæ locum habere statuamus. 2. Quan-
tum ad rem verò, omnia dicuntur à Deo in principio tempo-
ris creata, in quantum (1.) omnia à Deo in primo rerum mo-
limine acceperunt esse, cum prius illud non habuerint, (ex
nihilo sui facta) & (2.) prius aliquid productum fuit, ex quo
cuncta facta sunt juxta species suas, ipsum vero (3.) ex nullo
fuit factum, adeoque ejus productionem nihil antecessit,
(quod est ex *nihilo subjecti fieri*) quæ est creatio communis ma-
teriæ, toti Naturæ (est enim commune formarum receptacu-
lum) substratæ.

§. 69. Unde sequitur 3. ratione materiæ totam quidem
mundi machinam ex nihilo factam esse, sed rem quamlibet
particularem per actionem convenientem suæ naturæ, nempe
Angelos, materiam primam & animam rationalem per crea-
tionem propriè sumtam, cæteras vero formas per eduçtio-
nem è potentia materiæ, per quam facta quoque fuere com-
possi-

posita. Eductio enim ex potentia materiae est eadem actio realis cum generatione totius compositi, ut repugnet, formam educi e potentia materiae, & non generari compositum, quod per formam istam constituitur.

§. 70. Obiicit deinde contra Concl. 2. quod reliqua corpora producta sunt ex materia inhabili & dispositionibus debitis carente. Annon verò ejusmodi productio, quae ex indisposita procedit materia, creationi accensenda, siquidem à non esse aliquo procedit, nimirum à non esse five ex nihilo dispositionum. Sed majoris lucis ergò sit Syllogismus: quidquid procedit à non esse dispositionum in materia, vel ex materia dispositionibus destituta, illud creatur. Atqui corpora ex elementis in Hexaëmero verbò Dei producta, processere à non esse dispositionum, vel ex materia dispositionibus destituta. Er. corpora ex elementis in Hexaëmero verbò Dei producta, fuerunt creata.

§. 71. Resp. I. ad Majorem, eam limitando ex parte prædicati h. m. *illud creatur propriè & juxta definitionem creationis; sic negatur propositio; illud creatur vel creatum dicitur impropriè & per similitudinem*, ceterum §. 52. expositum fuit; conceditur Major, & conclusio inde illata. 2. Manendum omninò in definitione Creationis, adeoque in propria vocis, Creatio, significatione, quod in accurata tractatione observant eruditi. Jam vero Creatio propriè accepta non dicitur esse productio ex nihilo dispositionum, sed ex nihilo subjecti. 3. Dispositionum in materia absentia non tollit ipsam materiam, sed materiae habilitatem ad certam & determinatam alicujus rei effecti-
onem.

§. 72. Contra Concl. IV. obiicit quoque quaedam possunt. I. Nulla generatio fit sine præviis dispositionibus materiae. Sed in productione Cœli & Terræ aliarumque rerum non præcedebant dispositiones in materia. Er. productio illa non erat generatio. Major constat, siquidem alia & alia secundum speciem formæ aliam & aliam requirunt materiam, *l. 2. Physic. t. 26. nec quidlibet fit ex quolibet, l. 1. Phys. t. 43.* Minor patet ex historia Sacra. Ut enim Cœli & terræ producti-

D 3

onem

onem taceam, effectiōnem piscium ex aquis, animantium
ipfiusque hominis primi ex terra respiciamus, certè nulla in
istis materiæ dispositio ad formas rerum.

§. 73. Resp. Propositio hæc: *generatio non fit sine præviis
dispositionibus*; vera est, & locum quoque habet in supernatu-
rali generatione. Ad omnem enim generationem, h. e. ad
quamvis formæ introductionem requiruntur dispositiones
in materia, siquidem nulla forma introducitur in materiam
indispositam. Sciendum autem, propositionem illam dupli-
citer posse intelligi: *vel de prioritate temporis, vel de priori-
tate naturæ*. Præcisè loquendo de generatione, ipsa non re-
quirit, ut dispositiones tempore antecedant, & materia suc-
cessivè disponatur ad formæ receptionem, (Hoc enim speci-
ale est, & locum tantum habet in naturali & ordinaria gene-
ratione,) sed sufficit, si dispositiones debitæ & convenientes à
generante communicentur in ipso instanti, quo formam in-
troducitur. Ex parte enim generationis ut sic, atque uti à na-
turali & non naturali præscindit, perinde est, siue dispositio-
nes tempore antecedant in materia, siue simul cum ipsa formæ
substantiali introducuntur, suntque hoc ipso dispositiones
prioriores formæ, siquidem conferunt ad unionem & existentiam
formæ in materia, quod omninò ad generationem sufficit.

§. 74. Not. quòd dictum: *in naturali & ordinaria genera-
tione*. Potest enim illa propositio: *generatio non fit sine præviis
dispositionibus*, adhuc dupliciter intelligi: *vel de dispositioni-
bus naturaliter* (naturæ conveniente modò à causis naturali-
bus siue naturaliter agentibus) *vel de dispositionibus super-
naturaliter* (à supernaturali agente) inductis. Unde *genera-
tio* haut incommodè dividitur in *naturalem & supernaturalem*,
in *ordinariam & extraordinariam*, siue ab instituto Naturæ or-
dine abludentem. Utraque participat communem genera-
tionis definitionem & rationem formalem; ideòque inhabi-
litas materiæ non tollit generationem, sed generationem na-
turalem, & naturæ convenientem generationis modum. Ut
hoc tantum sequatur: Er. Corpora in Hexaëmero producta,
non sunt facta naturali generatione.

§. 75. Argumentamur ex superabundante: Quidquid ita fit, ut habeat materiam præexistentem, in quam eodem instanti, quo educitur forma, dispositiones pro unione formæ ad materiam inducantur, illud non creatur, sed generatur. Atqui Cœlum & Terra ita sunt facta in primo rerum molimine, ut ex materia præexistente sint facta, & in eodem instanti, quo educebatur forma cœli (& terræ) inducerentur dispositiones pro unione formæ ad materiam. Er. Cœlum (& terra) non fuit creata, sed generata.

§. 76. Ut proinde generatio naturalis & non-naturalis partim conveniant, partim differant. Conveniunt in hoc, quòd, ex præciso generationis conceptu, utrinque substrata est materia. Differunt vero 1. ex parte materiæ, in hoc, quòd in naturali generatione materia ei substrata est habilis, continetque dispositiones tempore antecedentes & successive in eam introductas; in generatione vero non-naturali dispositiones in instanti educationis formæ communicantur materiæ; 2. ex parte efficientis; ibi est agens physicum, quod juxta ordinem naturæ procedit, & materiam successive alterat atque præparat; hic vero est supernaturale, quod supra naturæ ordinem & vires agit, quando corpus aliquod ex inhabili materia efficit.

§. 77. Objicis 2. generatio est mutatio à non esse formæ ad esse formæ in materia. At verò prima corporum (nempe Cœli & terræ) productio non est ejusmodi mutatio. Er. illa nomine & ratione generationis venire nequit. Subsumtum probatur. Mutatio enim illa involvit tria principia; materiam, tanquam mutationis subjectum; privationem, tanquam terminum à quo mutationis; & formam, tanquam terminum ad quem ejusdem. At verò in Cœli & terræ productione nulla locum habuit privatio. Ubi vero hæc non datur, ibi non datur ejusmodi mutatio, quæ generatio sit. Probatur iterum Minor: Siquidem privatio tempore antecedit formam. Si verò Cœlum creatum fuit, in eod. instanti productum fuit Cœlum & ejus materia; similiter in productione terræ. Instans autem creationis erat primum instans Naturæ, ante quod nul-
lum

Ium erat tempus. Inde syllogismus prodit hic: Ubi nulla temporis ratio, ibi quoque nulla privationis ratio. Vel: quemcunque actum non antecedit tempus, illum nec antecedit privatio. Sed actum, quo producebatur Cælum, item terra, nullum antecessit tempus. Er. nulla quoque privatio.

§. 78. Resp. ad primum, neg. Minorem. Quantum ad probationem; iterum neg. Minor, quod nimirum in Cœli & Terræ productione non habuerit locum privatio. Cœlum enim & Terra facta ex tali materia, quæ ex se (1.) est informis. Informitas autem materiæ nihil aliud est, quam absentia formæ in materia; quæ (2.) ex se & *divinis* est, & *divinis*. Dum autem est *divinis* materia, sub privatione est, antequam introducat formam. Hinc hæc argumentatio: Quidquid factum ex materia per se (& ex naturæ suæ conditione) informi, illud factum fuit ex materia privationem formæ prius in se continente. Sed Cœlum & terra facta fuere ex materia per se & vi naturæ suæ informi. Er. Cœlum & terra facta sunt ex materia privationem formæ Cœli & terræ prius in se continente.

§. 79. Ad ultimum respond. distinctè. 1. Certum est, quod privatio antecedit formam in materia 2. an verò tempore antecedere debeat, an vero sufficiat, eam naturam præcedere, difficultatem habet. De prioritatem naturæ nullum hîc est dubium. An vero sola illa sufficiat, ut non requiratur quoque prioritas temporis, id dubium est. Quia vero aliud instans creationis materiæ, aliud instans productionis Cœli; privationem in materia, ex qua Cœlum & prima corpora fuere producta, tempore antecessisse consequitur. Not. quod dictum: *in materia*. Est enim materia privationis subiectum, sicut & est insequentis formæ. Quomodo ergo materia antecedit generationem, eo modo (in & cum materia) eam antecedit privatio. Sed materia antecedit generationem tempore. Er. & privatio. Ut proinde neganda veniat Minor in postremo Syllogismo.

§. 80. Objicis 3. quod generatio sit transmutatio totius in totum, ita ut subiectum sensibile non maneat idem, quod fuit antè, sed, eo intereunte, aliud oriatur, *ex l. 1. de G. & C. t. 23.*

As

Atverò id non potest dici de prima rerum productione. Pro-
ductio enim Cœli & terræ non est ejusmodi transmutatio. I-
gitur ea non est generationibus rerum accensenda.

§. 81. R. I. generationis vox accipitur dupliciter: vel generali-
ter & in primo momento, quomodo in *lib. 1. Phys.* à Philosopho
exponitur; vel specialiter & in secundo momento, uti in *libb.
de Gen. & Corr.* consideratur. 2. Res sive Corpora in Hexaëme-
ro producta sunt duplicia: vel prima, vel à primis orta. Prima
sunt corpora simplicia, nimirum Cœlum & quatuor elemen-
ta; Corpora è primis orta sunt corpora mixta, quæ ex corpori-
bus primis verbò Dei fuere producta. Quà primam primo-
rum & simplicium corporum productionem, illa erat gene-
ratio juxta *lib. 1. Physicor.* fuerunt enim Cœlum & Terra ex ma-
teria & forma facta; Quà vero reliquorum corporum ortum,
quando nimirum ex corporibus simplicibus producta fuere
mixta, omninò ibi locus est transmutationi, juxta alteram de-
finitionem in *libb. de gen. & corr.*

§. 82. Quod ut perspicuum atque manifestum reddam,
exempli locò prius affero miraculosam vini effectioem, quæ
Johan. cap. 2. describitur. Productio illa vini erat cōjuncta cum
transmutatione. Transmutabatur enim reverà aqua in vinū,
ut etiam actio & productio illa hoc nomine (transmutationis)
apud Interpretes sacros veniat. Similiter se res habebat in istis
Creationis operibus. Illud enim corpus, (e. gr. terra.) ex quo
corpora alia fuere facta, non mansit idem sensibile, puta, se-
cundùm illam partem, qua ex ipso alia corpora producta fu-
ere, sed desit esse id ipsum, quando, expulsâ priori formâ, ali-
am formam adscivit. Sic quando homo primus quâ corpus
ex terra condebatur, terra transmutabatur, & depositâ suâ
formâ, exutisq̄ue dispositionibus pro forma terræ, introdu-
cebantur aliæ dispositiones, aliudq̄ue corpus formabatur,
nempe humanum, pro forma humana seu anima rationali.

§. 83. Struimus eam in rem Syllogismum: Quacunque a-
ctioe aliquid fit ex aliquo ita, ut in materia (formis rerum
substrata) abjectâ priori formâ, recipiatur alia, illa actio est
generatio cum transmutatione. Probatür: abjectione enim

E

uni-

unius formæ & receptione alius formæ in materia non manet
idem subjectum sensibile, sed fit aliud subjectum sensi-
bile. Subsumitur: Atqui quando in Hexaëmero fiebant pi-
sces ex aquis, animantia & homo ipse ex terra, in materia (for-
mis rerum substrata), abjectis formis aquæ & terræ, recipie-
bantur aliæ formæ, nempe animantium, ipsiusque denique
hominis. Er. actio, qua ibi facta animantia tum ex aquis, tum
ex terra, fuit transmutatio vel generatio cum transmuta-
tione.

§. 84. Notetur autem, *transmutationem* esse duplicis mo-
di: *vel* enim est naturalis, *vel* supernaturalis. *Illæ* Naturæ in-
stitutioni est conformis, supponitque (1.) materiam, natura-
lem propensionem ad transmutationem, adeoque ad novæ
formæ receptionem habentem, (2.) agens naturale, hoc est,
tale; quod juxta institutionem Naturæ agat; *Hæc* ab institu-
to Naturæ ordine abluat, tum quia fit in materia, naturalem
propensionem ad novæ & determinatæ formæ receptionem
non habente, tum quia excedit vires Naturæ, adeoque non
nisi ab agente supernaturali fieri potest. Utrinque habes ve-
ram transmutationem, & veram generationem; nec diver-
sas modi diversitatem rei inducit. Posterior transmutatio-
nis modus huc spectat, qui est valde celebris in Sacris Scriptu-
ris, ceu vel unice ex Exod. ca. 7. & seqq. videre est.

§. 85. Objicis denique 4. quæ creaturis conveniunt, tan-
quàm propria ipsis, ea non sunt tribuenda Deo. Præcipue si
imperfectiorem aliquam involvant, uti involvere videtur ge-
neratio, quia est actio cum materia commercio habens. Deo
vero, tanquàm enti immateriali, immaterialis convenit actio,
non vero materialis.

§. 86. Resp. incipiendo ab ultimo; utraq; actio conve-
nit Deo, nec altera Ipsi repugnat. Duplices enim *Dei* sunt
operationes; *immanentes*; & *transseuntes*. *Illæ* sunt imateriales &
spirituales, *has* vero materiales esse non repugnat. Sunt enim
tales propter materiam sive subjectum, in quo recipiuntur,
nullam in Divina Essentia mutationem aut imperfectiorem
arguentes. Loquitur nobis res ipsa: Nimirum: si non est

im-

imperfectio, Deum ex aliquo facere aliquid, ut hominem ex terra, vinum ex aqua, &c. neque imperfectio erit, aut imperfectionem involvet, si Deum generare statuamus. Et cur ei, cui res voce significata competit, non nomen quoque sive vocem, qua res illa significatur, tribuamus? Voces enim de se nullam important imperfectionem; sed res vocibus denotata vel cum perfectione sunt conjuncta, vel cum imperfectione.

§. 87. Notandum verò, quòd divina productio rerum ex aliqua materia seu subjecto aequè fluat ex fonte omnipotentia Divina, ac productio ex nihilo. Utraque enim Omnipotentia Divina subest. Unde discrimen inter Deum & Naturam agentem patet. Hæc siquidem non nisi ex aliquo potest facere, quod facit; Deus vero utrumque potest, & ex nihilo facere aliquid, & ex aliquo facere aliquid. Estque decantatum in Philosophia diverbum, *omne quod potest Creatura, posse quoque Deum*, si nimirum nullam importet imperfectionem. Nulla vero hæc conspicua est.

§. 88. Deinde respondetur per distinctionem. Generare imperfectionem importat, *absolute* loquendo; falsum est; ex dictis; generare seu ex aliquo aliquid facere imperfectionem importat, *comparate* rem pensitando; admittitur; perfectius siquidem & excellentius opus est productio rei ex nihilo, quam productio alicujus ex aliquo, & in isto opere magis, quam ex hoc, omnipotentia Dei elucet.

§. 89. Resp. ad primum: quæ creaturis conveniunt, tanquam propria illis, non possunt tribui Deo; 1. intellige, si ita sint propria creaturis, ut illis competant exclusivè, quod hæc negatur; non enim efficere aliquid ex aliquo competit Creaturæ, ut soli illi competat, cum id Creatori quoque competere, ex Scripturis SS edoceamur; 2. non possunt Deo tribui eo modo, quo tribuuntur aut competunt Creaturis; quo pacto conceditur. Accedit enim ibi aliquid, quod eminentiam actionis generativæ in Deo designat, nempe quòd Deus in faciendo aliquid ex aliquo non indiget tempore antecedenti-

bus dispositionibus, sed eas in momento generationis inducere potest materiae recipiendae formae destinatae.

§ 90. Hic habemus aliquid peculiare, quo opera Hexameri distinguntur ab operibus Naturae; nempe inhabilitatem materiae. Ex inhabili enim materia non potest facere quidquam ullum agens naturale, potest vero Deus Omnipotens. Inde aliud in Philosophia enatum dicitur; *quae sunt impossibilia Naturae, sunt possible Deo*, si nimirum nullam involvant contradictionem. Sed facere aliquid ex materia inhabili, est impossibile Naturae. Naturae, inquam, est impossibile, non vero est impossibile in se sive simpliciter, siquidem ex materia inhabili aliquid fieri non implicat contradictionem. Er. illud est Deo possibile, sive sub potentiam Dei cadit. Et, si id esset in numero impossibilium, non dictum fuisset à Salvatore, Deum Abrahamae posse filios ex lapidibus efficere. Haec bonam mentem de praesente materia. Moniti meliora sequemur.

FINIS.

Not. In §. 36. sic legendum: (2.) in specie, pro generatione juxta specialem modum, prout nimirum conjunctam habet transmutationem, quomodo accipitur *l. 1. de G. & Cor. 1. 23.* Generatio vero ita accepta iterum potest sumi dupliciter: *vel in se & sua natura absolute, vel, uti restricta est, ad statum naturae; de qua utraque vid. §. 84.*



Ingenio quantum valeas, responsa probabunt,
Queis solves *nodos*, discutiesque probè.

Honoris & benevolentie ergò f.

M. Conradus Trumphius Gosla-
riensis.

Pulpita dum scandis *Zeisoldo Praside*, Amice,
Laurea ferta Tibi dia Minerva parat.

*Pauculis hisce Per Eximio Dn. Respondenti
applaudere voluit*

Julius Philippus **Bötticher**.

Pulpita conscendis doctorum docta Virorum,
Hinc surget tandem gloria, fama Tibi.

Gaude ergo virtute tuâ, benè confice cursum,
Cursum quem *summus* concomitetur honos!

*Votive acclamationis ergò Prestantissimo ac
elegantè - docto Dn. Respondenti, Philo-
sophie Candidato dignissimo, Amico hand
& multis uni assurgere voluit, debuit*

Christianus **Rheinländer** / Clausthaliâ-
Saxo.

Dum cathedrâ tradis *prima incunabula rerum*,
Egregiæ profers nobile mentis opus;
Teque doces animum studiis & rebus honestis
Intendisse, omni hinc parte beatus eris.

Victrices etenim circum tua tempora *lauri*
Ibunt, applaudet Delphicus ipse Deus.

*Ita Per-Eximio atq; Prestantissimo Dn. Re-
spondenti, Amico ac Sympatriote suo
oculitus dilecto gratulari voluit*

Henningus **Riehn** Goslariensis.
Rehn

Zehnteilige Lobschriſſe.

Aß Er vielwerther Freund mit Ruhm betritt die Stufen
Des hochgelehrten Stuls/ das ſchließen wir daher/
Daß Er ein Werk vertritt/ ſo hoch und eben ſchwer.
Es treuget keine Stund' Herr Volckmar ſeinem Hoffen
In dem Er was zu thun/thut/ was zu ſiehen/ſleucht.
So ſtrahlt die Tugend recht: So kömt es/ daß ſie reicht
Den hochverdienten Lohn/ ſo wenig noch betroffen.
Den aber daß Er ihn erlange zeigt zu gut
Die Themis ihm bereit den Purpurbraunen Hut.
Wohlan! ich höre ſchon Glück zu die Muſen ruffen.

Sezte ſeinem hochgeehrtem Herrn Landſmann

Henning Volckmar Philoſ. Cand. & SS.

Theol. Stud. zu beſondern Ehren

Georgius Süring / Goſlarienſis,

Phil. & S.S. Th. Stud.

Miltiades ſolers placidæ ſua membra quieti
Ob clarum ſignum ponere non poterat.
Sic quoque non potis eſ ſuavi tua lumina ſomno
Condere, ſed vigilat nocte dieque labor;
Dum *claram Sophiæ ſellam* contingis, Amice,
Hoſtes in magnos dum tua tela cadunt.
Quapropter tua laus rutilantia ſidera tanget,
Famaque VOLCKMARI ſurget ad aſtra Poli.

Pauvilla hæc Preſtantiſſimo atque Doctiſſimo

Dn. Henningo Volckmaro, Magiſterii Can-

didato digniſſimo, Amico ac Contubernali

ſuo dilectiſſimo, de Nativo rerum natura-

lium ortu feliciter diſputanti, apponere

voluit, debuit

Johannes Colnerus Wildungâ-Waldeccus,

Philoſoph. Studioſus.

FINIS.

99 A 6919

ULB Halle

3

002 631 202





56.

Reho. ✓

VD17







Bonocum Deo!

DISPUTATIO PHYSICA
DE
**NATIVO RE-
RUM NATURA-
LIUM ORTU.**

Quam

DEO T. O. Tq; M. ANNUENTE
IN ILLUSTRIS AD SALAM ACADEMIA
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Amplissimi, Excellentissimi ac Praclarissimi

DN. JOHANNIS ZEISOLDI,
Physices Professoris Publici Honorarii undiqua-
que Celebratissimi, Facultatis Philosophicæ h. t. De-
cani Spectatissimi,

Dn, Præceptoris, Fautoris, Hospitis atq; Patroni sui ter-
geminis honoribus adficiendi, mactandi,
Publicè ventilandam exhibet

HENNINGUS Voelfmar/

Goslariâ-Saxo.

Ipsis Kal. Februar.

Quas Jubilæum Academicum excipiebat.

In Acroaterio Philosophorum
H. L. Q. S.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISII,
ANNO MDCCCLXX.

